



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

40. Honores taxandi ſunt meritis, non ambitu. Equidem majoris gloriae eſt non obtentos meruiſſe, quàm non meritos poſſidere. Ambire, quod non meruiſti, impudentia eſt: procurare per media inhonora, infamia. Plus recidit, quàm aſſurgit, qui per indigna ſe evehit: honor ei in confuſionẽ cedit, dignitas in contemptũ.

*DECAS V.*

41. Quidquid boni eſt, à Deo eſt, quidquid mali, à te. Dic igitur, unde præſumis? Si de malo? non eſt hæc gloria, ſed calamitas, Si de bono? hoc alienum eſt, non tuum. Præſtat in malefactis humiliter poenitere, quàm in virtute ſatiſfactione præſumere.

42. Ambitioſus exerrat à via, dum ad Solium honoris contendit; non evehit eò fortuna, ſed virtus. Ipſo ambitu, quo accedit, repellitur, dum per vitium prætendit, quod non niſi virtus conceſſerit.

43. Iram, ut pote, fugito: præcipitat conſilia, ſuadetque fieri optimè, quod nociviſſimum eſt. Juberis ſævire in alium, & teipſum perimis: ita & apes lædunt pernicie ſua. Damnum, quod putas tuum.

ſarcire

farcire vis alieno, & proprium auges. Multos, crede mihi, verbuli non dissimulati impatientia patriâ extorres fecit.

44. Quantum abes longiùs à capiendo consilio, si irasceris, tantò magis expedit prævertere, nè irascaris. Ut patiamur nos ratione destitui, multa certè ratione opus est: & fortassis non suppetit ratio, quæ te impellat, magis ut irascaris, quàm ut inebrieris.

45. Tutius est inimico ignoscere, quàm ab illo vindictam petere, forsitan & facilius. Ignoscere potes nec movendo pedem, ulcisci vix absque impensis, & discrimine non parvo.

46. Neque à mortuo responsum extorseris, neque ab avaro gratitudinem. Desiderium accipiendi extinguit in illo memoriam accepti. Ut accipiat, quidquid grande est, videtur modicum: ut donet, quidquid modicum est, videtur immensũ.

47. Avaro, quæ aliis felicissima sunt, veniunt in censum calamitatis. Divitiæ ipsi vertuntur in egestatem, vita in poenam. Hujusmodi nempe vita avaro est, ut pejus ei voveris nihil, quàm ut vivat.

48. Plurima desunt divitibus, avaro omnia. Inutiliora sunt ei possessa, quam non adepti. Ipsa, quæ habet, cupit, & ipsa desunt, quæ habet, cum frui non audeat. Adeo nempe infelix est, ut tam desit ei, quod habet, quam quod cupit habere, & forsitan hoc magis: nam de eo, quod habet, non gaudet, & illud, quod non habet, sperat solummodo. De illo, quod possidet, non habet fructum, & illius, quod sperat, solum odoratur florem.

49. Multum interest inter timentem egestatem, & amantem divitias. Illum fugiunt omnes, ab hoc abhorrent. Illum vis necessitatis audacem facit, istum vilitas avaritiæ odiosum: nulli enim avarus nisi hæredi proficius est.

50. Perinde avaro sua cupiditas est, ac naufragium aut incendium: non magis fruitur substantiâ suâ, quam si foret aquis hausta, aut igne absumpta. Quidquid in arcam recondidit, idem est, quasi amiserit: tantundem proficit habenti ac carenti. Cupiditas avari paupertas est deaurata, locuples inopia, & in abundantia egestas.

DECA